

*Lutherum ad reformationem non fuisse vocatum, suscepisse eam ex privato sui ordinis emolumento, inclarescendi studio, satianda libidine, aliisque pravis moribus, imo ad aucupandam Principum gratiam omnia peregisse, velut crambem millies recoctam, ad nauseam usque novissime a Mehlführero, Nestero, Apostatis, imprimis autem Krausio inepte faceto Lojolarum ordinis membro, nobis apponi, cum jam dudum his omnibus calumniandi rationibus ex instituto satisfecerint GERHARDVS, AEGIDIUS & NICOLAUS HVNNII, HVTTERVS, TARNOVIUS, MVLLERVS in Lutherodefensio, eiusque defensione, THVMMIVS de admiranda Lutheri reformatione, DANNHAVERVS *Hodom. Pap. Prooem. p. 26. f. & AntiChristos. S. 2. art. 3. p. 512.* TENZELIVS adversus Frommium, aliique quam plurimi, inter quos omnes eminent Illustris SECKENDORFIVS in excellentissimo opere adversus Maimburgium Jesuitam conscripto: quorum omnium scripta prius debebant expendi, antequam tot & tantis scommatum plaustris doctrinam Evangelii aggredierentur homines maleferiati, ipsisque Pontificiis prudentioribus non approbati.*

§. III. Helvetii autem, qui ex Zvvinglii schola prodierant, quamvis primis Reformationis initiis communem causam cum nostro Luthero agere, & de ipsius suscepta Reformatione honorifice & egregie sentire viderentur, deinceps tamen veriti non sunt, si non palam, indirecte tamen, & per ambages, a Luthero factae sacrorum emendationi detrahere, eamque aut cum Zvvinglio partiri, aut ut imperfectam & mutilam sugillare & criminari, quod, ut cum aliqua veritatis specie fieret, variis praejudiciis malae causae patrocinium susceperunt, quibus confutandis ut inhaeremus, opus non est, siquidem hoc jam egregie praestiterunt nostrates Theologi hinc & inde in diversis scriptis pole-